

fuerat facta predicti archiministri¹, quia se credebatur in ipso ministerio successorem, pro eo quod ritus inibi priscorum fuerat, ut ille qui ibidem hoc leviticum deservebat servitium, si se locus tribuebat, curam pastorem ambiebat. Cumque cognovisset predictus Gerivoldus beatum Preiectum visionem narrantem, quam a parentibus didicerat, palam epistolam in contrarietatem ipsius coram omni ecclesia ostendit relegenda². Porro viri iam suprascripti, qui ipsam manu propria roboraverant, in electione beati Preiecti voluntatem accommodant³. Ille vero cum se coartatum undique cognovisset, et unde sibi in⁴ firmitatem de parte clericorum credebatur, detrimentum paciebat, eos⁵ omissis vel cetera clericorum fraternitate derelicta, per auri argentique metalli fomenta expetit laicorum solatia. Ipsi vero, accepta pecunia, in omnem⁶ clerum oppresserunt et prefatum Gerivaldum in pastorem sublimaverunt dignitatem. Ipsi vero Gerivaldus non post multos — tamen expletis quater denis curricula⁷ — dies debitum inplevit nature et cathedram, quam usurpaverat indignus, reliquit petenti se meliora⁸.

ACTENUS, PRIUSQUAM CURAM PASTORALEM SUSCIPERET, NUNC ORDO GESTORUM.

Sub divi memorie Hilderici — — digna morte finivit. Cumque hec supra scripta Gundila mater puellarum per internuntios audisset, consternata paululum, consurgens coepit undique religiosos viros⁹ perquirere, quos ad sanctorum corpora abluenda dirigeret. Quod ita et fecit. Presul vero, successor viri Dei, mittens religiosos⁹ viros¹⁰, ut dignum erat, eorum corpora sepelire mandavit.

Erant autem ea tempestate de suprascripti pontificis propinquitate duo pares, id est Eligius et Godo¹¹, quos iugiter in conventicula secum habebat. Vere, sicut rei probavit eventus, sepius de ipsorum narratione predictus pontifex didicerat, qualiter in nece ipsius suprascripti¹¹) viri adspirabant; sed in responsis eis¹² dabat: 'Non sum dignus', inquit, 'ut asseritis, martyrii coronam accipere, quia credo, me et in delictis ortum fuisse et postea in hoc saeculo culpas contraxisse. Nam si ita adipisci merebar, per illo cruore effusionis meum delictum credebam¹³ indultum'. Quid plura? Unus de predictis martyrio consummatus, Godo vero partibus Agaunensium¹⁴ iter arripuit.

1) 'archiminister' 1, corr. 2) 'relegendam' 2a; 'relegendam' 2b.
 3) corr. 'accommodabant' 1, et sic 2b; 'accommodaverant' 2a. 4) om.
 2a. b. 5) 'eis' 2a. b. 6) 'omē' 1. 7) 'curriculis' 2a. b. 8) 'meliori'
 2a. b. 9) 'viros — religiosos' om. 2a. b. 10) 'et' add. 2a. b.
 11) 'Oddo' 2a (non 2b). 11*) 'suprascripta' (1). 2b. 12) 'ei' 1.
 13) 'credebar' 1. 14) 'Augaun.' 2a; 'Agann.' 2b.